S. P. Clarissime D. D. Veni salvus domum die sabbathi retro proxima non valedicto D. D. Gravio nostro. Legit ut [illegible] proxima lectione & et Galeno quidem dixit venæ sectionem posse etiam die septima à principio morbi celebrari, cum tamen is criticus sit et ideo eo die plane ab omnibus quæ movent abstinendum, uti alias legendo præcepit: de quo si placet ex eo sciscitare & mihi rescribe. Postbiduum n. meus affinis G. Merckelij suum famulum huc mittet. Quæso et D. D. Gravio significes ut in synocho putri ubi in impurioribus corporibus et [illegible] purgatio requiritur, ut de ea quoque eo modo discurrat quo iam de venæ sectione discurrit. Velim quoque scire an D. Gravius post tractationem de synocho continente, postea statim ad continuas ad intermittentes proportionales progredi velit. Rogo te ut D. D. Gravium ex me & uxore mea officiose salutes et uxorem tuam. Poteris D. D. Gravio hanc meam schedulam mittere. Spero te hisce ferijs genethliacas tuas in ordinem redacturum. Miror cur practici utantur rasura dentis apri in pleuritide quasi contra eam à proprietate faciat, & cur D. D. Gravius det ea quæ putredini resistant quando saltem pleuriticum tumorem ex defluxione pendentem sequitur febris symptomatica simplex. Si placet quæso aliquid responde. Vale Vir clarissime & saluta uxorem tuam meo & uxoris nomine. Raptim 14 Decembris A° 1601.

Tuæ excell. Studiosiss.

P. Quentenius Med.

+ & quis ordo exhibendi sudorifera, & de purgatione ante venæ sectionem sit ibi singulis diebus in occursu præcipue tenendus, maxime cum synochi illa aliquid pestilentiæ adiunctum sit.

Viro Clarissimo
D. Theophilo Ma-
dero Medicinae
Doctori et philoso
pho Heidelbergensi
dn̄o & amico sibi
honorādo.